



**Theologiae Moralis Sacramentalis Ad Instructionem
Ordinandorum & Curandorum Ex Materia De Sacramentis
In Genere Et Ordinis Eucharistiae, Poenitentiae, Ac
Matrimonii In Specie**

De Matrimonij Sacramento, & omnibus Peccatis contra VI. præceptum, ac
de Abortu

Sporer, Patritius

Salisburgi, 1711

Classis I. Impedimentorum. Consensus insufficiens. Error. Conditio. Metus.
Raptus Clandestinitas.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55333)

CLASSIS I.

Impedimentorum.

CONSENSUS INSUFFICIENS

SUMMARIUM.

4. *Error circa personam jure natura irritat matrimonium.*
5. *Non tamen error circa qualitates persone.*
6. *Nisi talis qualitas sit per se intenta actu, vel virtute.*
7. *Aut nisi error circa qualitatem redundet in ipsam personam.*
9. *Etiā conditio servilis ignorata dirimit matrimonium.*
11. *Secus, si hac conditio à libero contrahente sciatur.*
13. *Metus gravis injuste incussus ad extorquendum consensum matrimonii, irritat illud, probabiliter jure natura.*
14. *Certissimò irritat metus gravis absolute.*
15. *Ac etiam gravis respectivè.*
16. *Non tamen metus simpliciter levis, vel mere reverentialis.*
17. *Nisi quandoque per accidens.*
18. *Ut autem metus gravis irritet, debet esse injustus, seu injuste incussus.*
19. *Per se directe ad extorquendum ipsum Matrimonii consensum.*
20. *In dubio, an metus fuerit injuste incussus, presumendum est pro valore.*
21. *Talem metum incutiens peccat mortaliter: alter verò tantum venialiter, si solum fide consentiat.*
22. *Imò nec venialiter, si solum consentiat in ipsum matrimonium sine animo consummandi.*
23. *Moraliter verò, si ex tali metu contrahat cum intentione consummandi, sciens tale matrimonium esse nullum?*
24. *Et exercendo actus carnales mere fornicantur, nec per illos matrimonium tale ratificatur sine novo consensu.*

25. Qualiter peccat, qui ex tali metu contrahit irritum insuper alio impedimento dirimente?
26. Raptus generatim quid? ejus poena.
27. Ad raptum proprie dictum, requiritur violentia.
28. Illata ipsi puella (non parenti, vel tutori)
29. Idque in ordine ad matrimonium.
30. Non est impedimentum si puella rapiat virum.
31. Rapiens puellam non pro se, sed pro alio, incurrit poenas, non tamen impedimentum.
32. Matrimonium clandestinum sine Parocho & testibus nullum est ex Decreto Tridentini.
33. Quod obligat solum in locis Catholicorum, ubi promulgatum est.
34. Quid de locis, ubi Catholici permixti sunt cum haeticis?
35. An, si sponsi in sponsalium contractu praesente Parocho & testibus utuntur verbis de praesenti, sit matrimonium ratum?

§. I.

E R R O R.

REGULA. Error circa ipsam personam matrimonium omni, etiam naturalijure dirimit: non item error circa qualitatem, nisi talis qualitas esset per se actu vel virtute intenta a contrahente, aut error circa qualitatem redundaret in ipsam personam. Certa apud omnes, & patebit explicando.

I. Error circa personam jure naturae irritat matrimonium. Certum apud omnes. Sanchez l. 7. disputat. 18. Layman. l. 5. tract. 10. part. 4. c. 5. Ratio est; quia error simpliciter tollens voluntarium versans circa substantiam vel substantiale contractus, omnem contractum irritat, ut

ut patet in venditione & emptione, si cui pro auro vendatur aurichalcum, &c. atqui contractus matrimonii primum & substantiale objectum est ipsa persona, cum qua contrahendum; hanc enim principaliter respicit contrahens: ergo error circa personam ipso jure naturæ irritat matrimonium: neque interest, si sit error antecedens & dans causam contractui, qui si scivisses non contraxisses; si sit error concomitans & incidens tantum, & non dans causam contractui utpotè, quia ita animo affectus fuisti, ut, etsi non ignorasses, hanc esse aliam personam, tamen illam duxisses; quia uterque error aufert actuale voluntarium & consensum, cum nihil possit esse volitum, nisi cognitum: Et tamen differunt in hoc, quod error antecedens reddat involuntarium positivè, error verò concomitans reddat solum involuntarium negativè, seu non voluntarium, quod ipsum sufficit, ac tollit consensum in talem personam.

Quod si tamen quis ita intenderet actualiter contrahere cum præsentī muliere, quæcunque illa sit, validum erit matrimonium, quia tunc nullus error.

Dices: Nōne Sacramentum, Baptismus v. g. est validus, si quis baptizaret hunc, putans esse alium, aut foemellam putans esse masculum? R. Ita; quia baptizans dirigit actionem & intentionem suam in hunc præsentem, quicumque tandem sit, prout in simili modò etiam de matrimonio concessimus, contrahens autem matri-

monium ordinariè suum consensum dirigit in determinatam personam hanc, v.g. Mariam. Cæterùm, si baptizans diceret: volo baptizare hunc, si est masculus, certè non baptizaret, si esset fœmella; quia sua intentio non extenderetur ad illam; nimis tamen imprudenter & stolidè sic intenderet. Contra: nonne Jacob *Gen.* 29, deceptus pro Rachele Lyam acceptam deinceps pro legitima uxore habuit? &c. Ita; quia postea detecto errore personæ matrimonium ratificavit, tum amore potiundæ etiam Rachelis, tum compassus Lyæ jam defloratæ per ignorantiam ex parte sua invincibilem, ex dolo soceri Laban supponentis ei pro Rachele Lyam.

II. Error circa qualitates personæ etiam antecedens & causa operis, etiam ex dolo alterius contrahentis proveniens regulariter non irritat matrimonium. Communissima DD. apud citat, & colligitur *ex c. cum in Apostolica de Sponsat.* Ratio est; quia ad valorem contractus matrimonii satis est, si consensus sit circa substantiam corporis, quæ mutuò datur: quidquid ergò est extra substantiam corporum, accidentale est, nec potest invalidum reddere matrimonium; etenim matrimonium substantialiter subsistens non potest infirmari, nisi in casibus à Jure vel Ecclesia permissis vel decretis; matrimonium autem substantialiter consistit in consensu voluntario personæ cum persona tali in individuo certò cognita ad traditionem mutuam corporum in usum generationis: ergo non infirmatur ob errorem
circa

circa qualitates accidentales personæ, cum nullus Canon Ecclesiasticus existat, qui id infirmet quoad tales qualitates, sicut existit de qualitate conditionis servilis. Validum ergo erit matrimonium, si quis ducat Cajam putans vel falso asserenti credens esse nobilem, virginem, &c. cum tamen sit plebea, corrupta, inops, &c. nisi una ex dictis duabus exceptionibus accedat. Eadem ratione valida est professio Religionis, quamvis ejus qualitates, asperitates, victus, fratrum mores, rigor Prælatorum, &c. antea non advertantur. Sed en tibi jam duas exceptiones.

III. *Nisi talis qualitas esset per se actu vel virtute intenta à contrahente*: ut si quis actu & expressè intendat, non accipere uxorem, hanc v. g. mulierem, nisi sit nobilis, virgo, &c. aut dicat: si es nobilis, duco te, aliàs nolo; tunc enim non subsistente tali qualitate, omnium consensu matrimonium nullum erit; quia tunc qualitas illa sit pars objecti principalis per se intenti, estque consensus matrimonii conditionatus si est talis, volo: atqui consensus conditionatus de præsentī, conditione non subsistente, nullus est, ut omnes norunt: ergo &c.

Dixi *actu vel virtute*; eadem enim est ratio, quando talis qualitas & conditio, etsi non actu in ipso contractu habeatur, tamen antea habita & non revocata in ipso contractu virtualiter perseveret, ut si antea declarasti, te nolle ducere Cajam, nisi virgo v. g. sit, & hoc animo non revocato, & neque actu cogitans de hac mea volunta-

te, contraho cum Caja putans esse virginem, cum talis tamen non sit, adhuc invalidum erit matrimonium; quia illa prior intentio cum non sit revocata, & adhuc virtualiter duret, æquivalet intentioni & conditioni actuali, ut in simili omnes docent de intentione virtuali sufficiente ad confectionem Sacramentorum. Merito ergo Basilii Pontius *l. 4. de matrimon. c. 21. n. 13.* testatur nullum fuisse declaratum matrimonium cujusdam fœminæ, quæ sæpè seriò dixerat se potius quidvis passuram, aut mortem sibi illaturam, quam cum certo quodam viro inire matrimonium, si is esset ex Judæorum progenie, & post initum contractum ex Judæis inventus est; quia ex circumstantiis clare apparuit, illam intentionem virtualiter permansisse. Cæterum consentiunt DD. ad irritandum matrimonium non sufficere solam intentionem, vel dispensationem habitua-lem non contrahendi cum tali qualitate personæ, cum quis nimirum defacto simpliciter contrahit cum tali persona v. g. non nobili, paupere non virgine, &c. solum animo ita dispositus est: ut si scivisset vel advertisset ad hanc vel illam qualitatem, non contraxisset. Quia in contractu non attenditur ad id, quod fecisses vel voluisses in aliis circumstantiis, sed ad id, quod re ipsa de facto fecisti, & voluisti circa substantiam contractus: absolute enim consensum præbuidisti, nec adfuit ulla conditio, sed solum adfuisse, quod nihil operatur. Denique si talis dispositio habitualis sufficeret, vix ullum esset in mundo matrimonium validum. Sequitur altera exceptio.

IV. Aut, *nisi error circa qualitatem redundet in ipsam personam.* Quando nimirum persona aliunde in se prorsus ignota alicui sub sola aliqua qualitate proponitur, & concipitur, sic ut quis sub conditione alicujus qualitatis præcisè formet conceptum alicujus personæ determinatæ in individuo, quæ proinde qualitas per errorem apprehensa, si revera non adsit, certè irritat matrimonium, cum re ipsa sit error circa personam; ut si quis consentiat contrahere cum filia Sempronii primogenita, & offeratur postea alia non primogenita, non valebit matrimonium, esto etiam vera primogenita jam esset mortua; quia nimirum error ille qualitatis redundat in personam, & æquivalenter est error personæ. Item: vides à longè duas puellas unam sedentem, alteram stantem, unam audis virginem, nobilem divitem, &c. alteram viduam, plebeam, pauperem, &c. dicas: volo ducere sedentem, virginem, nobilem, &c. & postea offeratur tibi ad matrimonium altera, matrimonium nullum est ob eandem rationem.

Contra verò si aliunde formasti conceptum de tali determinata persona, v. g. jam nôsti hanc determinatam puellam Mariam quoad personam, atque hunc putas esse divitem, nobilem, &c. cum talis non sit, seu proprio errore, seu aliunde deceptus, & cum hoc errore cum illa contrahas, validè contrahis, quia jam error est circa qualitatem, quæ non redundat in substantiam personæ; jam enim personam ducis, quam nôsti, & ducere

re decrevisti, etsi in qualitate accidentali deceptus fueris. Sic Sanchez hic l. 8. disp. 18. num. 21. Tambur. hic c. 1. num. 20. In summa, si dicas volo nobilem, virginem, &c. qualem puto esse hanc, si non sit, matrimonium nullum est. Si verò dicas: volo ducere hanc Mariam, quam puto esse nobilem, &c. si non sit, matrimonium validum erit. Quare nervose & sapienter Layman cit. c. 2. num. 2. scribit: si Caja visu prius nota & ad matrimonium determinata fuisset, tamen si postea simularet se primogenitā, cum non sit, valebit matrimonium, nisi actualis intentio fuisset, saltem animo retenta: non accipiendi eam, nisi primogenita sit. Casus varios videre potes apud citatos.

8 Unum magis lepidum & intricatum afferro ex Gabriele V. *Impediment. quæst.* 4. Adolescens quidam petit in uxorem filiam cujusdam, quam valde formosam fortè viderat, verum illam ei denegavit pater, causam dans: eam esse secundogenitam, se tamen facile daturum primogenitam quam nubere prius deceat; ad hæc adolescens petit à patre, ut prædictam primogenitam ostenderet viro gravi, ut is syncerè & ex fide sibi referat, an etiam pulchra esset; annuit pater, sed verò ille ostendit eandem secundogenitam viro illi, nam primogenita valde informis erat; adolescens ergò à viro illo gravi informatus, etiam illam sibi ostensam pulchram esse, cum ea contraxit de præsentī more Nobilium vespere sub lucē candelarum, quando ejus formam advertere non

potuit, postea inventa est nequaquam pulchra: contendebat adolescens matrimonium nullum fuisse. Gabriel responderet, fuisse validum; quia error fuit in qualitate pulchritudinis, non in substantia; adolescens enim jam consensit in primogenitam, quam ipsi obtulit pater, quare illam duxit, quam voluit. Hancque responsionem approbat Sanchez *num. 35.* alique. Sed meo iudicio rectius improbant Pontius *l. 4. c. 22. num. 5.* & Tamb. *cit. c. 2. §. 2.* quia adolescens consensit in illam, quæ fuit ostensa viro illi gravi: at hæc non fuit primogenita: falsum. ergo est, adolescentem consensisse in primogenitam à patre primo promissam; quia ratione pulchritudinis adolescens determinavit ad ducendam illam determinatam, quam pater ostendit illi viro, si pulchra sit; pater autem ostendit secundam, eamque solam vidit, & retulit vir ille gravis: ergo in illam solam consensit; fuitque error qualitatis redundans in personam.

§. II.

CONDITIO.

Conditio servilis ignorata dirimit matrimonium; hoc enim speciale est, quod error circa qualitatem conditionis servilis, ut si homo liber & ingenuus contrahens putet, & intendat ducere personam liberam, & ingenuam, revera ducat servam vel mancipium, matrimonium nullum sit. Habetur expresse in jure *c. 2. & ultimo. De conjugio servor.* docetque communis, D: Thomas D. Bonavent. Scot. *in 4. d. 36.*
Ra-

Ratio est; quia licet hic error non versetur circa personam vel substantiam, est tamen circa qualitatem valde necessario spectantem ad contractum, usum & finem matrimonii; convenit enim, ut contrahentes æqualem corporis potestatem inter se conferant ad finem generationis & societatis vitæ: atqui liber quidē plenam corporis potestatem alteri dat, obligans etiam se ad individuum vitæ societatem; servus autem seu mancipium plenam sui corporis potestatem dare non potest, nec potest se obligare ad individuum vitæ societatem, cum in domini sui potestate constitutus ab eo vendi, in terras longinquas mitti & ablegari, domesticis operibus addici &c. jure possit, non obstante matrimonii vinculo. Accedit gravissimum incommodum, quod si uxor serva sit, maritus liber; proles sequantur conditionem matris; quia ut Jura loquuntur; *fœtus, sequitur ventrem*: ergo &c.

- 10 II. Quo autem jure inductum sit hoc impedimentum dissentiunt DD. Solo jure Ecclesiastico dirimere docent DD. communiter cum Sanchez *l. 7. disp. 19. num. 17.* Contra ipso jure naturali dirimere ob rationem datam; quia nimirum libera persona non videtur velle corpus suum liberum tradere pro corpore alterius, nisi similiter libero, nisi aliud intenderet, docent alii graves DD. apud eundem Sanchez & Layman cit. probabile censentes, favente etiam Scotto in *4. d. 30. quest. 1.* eò quod jura citata non tam statuere, quam supponere videantur hoc im-

pedimentum conditionis. Tu crede, quod libet.

III. *Dixi conditio servilis ignorata*; quod si i^x enim homo ingenuus & liber sciens alterius conditionem servilem, nihilominus eam spontè admittat, valebit matrimonium æque, ac si servus cum serva contrahat. Expresse *cit. c. ultimo, de conjugio servor*. Adde: etiamsi sperâisset, quod ea persona libertate donaretur, & postea frustratus esset; quia non erravit in qualitate conditionis servilis; ut notavit etiam noster Marchant *Tribun. part. 3. tract. 1. tit. 2. quest. 2.*

At contra: quid si Titius liber contrahat cum Caja reverà libera, quam tamen per errorem putat esse servam, valétne matrimonium? R^z. quòd sic: quia Canones veram servitutem, non autem putatitiam constituunt impedimentū dirimens, neque falsò putata servitus quidquam nocebit matrimonio.

IV. Similiter, si servus contrahat re ipsa cum i² serva, putans se contrahere cum libera, matrimonium valebit; quia Canones agunt de Matrimonio, quod contrahit liber cum serva, quam ignorat esse servam; hic autem servus contrahit non liber. Plura de his videre potes apud citatos, maximè Sanchez, usque ad nauseam; nam quia in his partibus nulla praxis, non immoror; notant enim DD. Germani Layman. *cit. num. 5.* Gobat *casu 5. n. 131.* omninò valere matrimonia personæ liberæ cum servis originariis vel adscriptitiis, quales plurimi sunt in Bohemia, Po-

lonia, ac etiam Suevia, & vulgò vocantur man-
cipia, reipsa autem mancipia & servi non sunt,
sed homines liberi, solum quoad certa obsequia
suis dominis adstricti, ut ab eis, nisi remissione
gratis vel pretio facta, recedere non possint.

§. III.

VIS SEU METUS.

13 *Regula:* Metus gravis injustè incussus ad ex-
torquendum ipsum matrimonium, seu con-
sensum matrimonii, matrimonium irritat (satis
probabiliter ipso jure naturæ, cum videatur im-
plicare, ut quis per tam gravem injuriam sibi
compareret jus in alterum) certò autem jure Ec-
clesiastico, *c. Cum locum. c. Veniens c. consult.*
De sponsalibus & expressius *c. 2. de eo, qui du-*
xit: ubi significatur matrimoniū gravi metu ex-
tortum, etsi juratum sit nullius roboris esse.
Ratio sumenda ex differentia intra matrimoni-
um, & alios contractus; quia alii contractus ex
metu injusto facti, etsi in communiore sententia
validi sint, tamen postea per exceptionem, vel
Judicis sententiam rescindi possunt, & metum
passus restitui in integrum; at verò matrimonium
mutuo consensu semel validè contractum, &
maximè etiam consummatum rescindi nunquam
potest: ergò necesse fuit, ob gravissima incom-
moda ex ejusmodi coactis matrimoniis evenire
solita evitanda, ut constitutione juris statim à
principio vis injusta matrimonio impedimentum
affert, cum postea non sit locus remedii. Plu-
ra vide apud Sanchez *l. 4. disp. 11. tota*, ubi n.

20. ex communi monet idem sentiendum esse, si quis indefinite cogatur ad ducendum unam ex pluribus v. g. filiabus Titii: quin etiam, si pater absolute dicat filiae: te exhaereditabo, nisi nupseris: nuptiae secutae non subsistent, si verè timeatur quòd illae minae sortiantur effectum; quia status matrimonii absolute debet esse homini liber adeoque etiam ille metus officit valori matrimonii, quo quis cogitur inique ad matrimonium generatim, seu non determinando ullam personam in particulari. Ut contra *Abbatem, Andorium, Benignum*, & alios, cum pluribus docet *Sanchez cit. Diana part. 4. tract. 4. Resolut. 32. Gobat. cas. 12. n. 252.* Jam verò termini hujus impedimenti explicandi sunt.

§. I.

Metus gravis.

Metus gravis dicitur, quando, vel quo ti-¹⁴metur grave malum inferendum aut ipsi metuenti, aut personae valde conjunctae, ut patri, matri, uxori, fratri, &c. aliisque consanguineis; Metus autem levis dicitur, quo timetur leve malum. Grave autem vel leve malum considerari debet vel absolute respectu cujusvis, vel respective ad certas personas; minus enim malum sufficit ad metum gravem in foemina, quam in viro, in puellâ quam in juveni, in juvenili ætate, quam robusta & virili.

Pono breves resolutiunculas.

1. **I**rritat certissimò matrimonium metus gravis

vis absolute & cadens in constantem virum, quo nimirum timetur malum grave absolute quod nimirum omnes homines habent pro gravi & molesto, & proinde etiam viro forti ac constanti merito sit formidabile: cujusmodi est metus mortis, mutilationis, cruciatibus vel verberationis atrocis, servitutis, exilii, carceris diuturni, gravis infamiae, violenti stupri, amissionis status vel officii ad sustentationem necessarii, majoris partis bonorum exhereditationis, item excommunicationis injustae &c. de quibus late Sanchez l. 4. disp. 5. Lessius l. 2. de *Iustitia* c. 17. num. 35. singula bene ex jure probans, & de his non potest esse dubitatio, vel enim talis metus irritat, vel nullus: atqui non nullus: ergo &c.

15 II. Etiam irritat matrimonium metus gravis respectivè quo scilicet timetur malum grave solum respectu apprehensionis vel conditionis personae; nam pueris, faeminis, viris meticulosis vel aliunde afflictis, &c. valde gravia accidunt pleraque, quae vix curant homines cordati. Communis DD. apud citatos. Ratio est; quia in talem metum verissimè cadit sententia Alexandri.

III. Cit. c. cum locum de sponsalibus. *Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit*: etenim illud voluntarium, ob quod metus etiam absolute gravis invalidat matrimonium causatur immediatè à vehementia metus & apprehensione mali imminentis, & remotè tantum ab ipso malo formidato foris existente: atqui ubi est eadem ratio, ibique quoque est eadem

dem juris dispositio; cum ergò metus respectivè gravis immediatè æquè minuat libertatem consensûs ac metus absolutè gravis, palam est, dictam decisionem Alexand. cit. æque in illo loco habere, ac in hoc. Quòd si ergò pater filiæ verecundæ ac timidæ minaci vultu intentet alampam, eoque metu consternata puella consentiat, aliàs non consensura, non est dubium in omni foro matrimonium pronuntiandum nullum.

III. Non irritat matrimonium metus simpli-
citer levis, sicut neque metus merè reverentialis, quo nimirum juvenis vel puella tantum ideò consentit in matrimonium propositum sibi à patre v. g. vel tutore, quia timet, nec contradicendo agat contra reverentiam debitam parenti, ideòque solum verecundiam vel ruborem in metuente causat, secluso omni alio incommodo vel damno. Ita communis DD. Sanchez l. 4. disp. 17. num. 2. Layman. cit. c. 5. num. 1. & 3. Lugo disp. 22. de justitia. num. 149. Pontius l. 4. num. 18. alii plures apud ipsos. Ratio est; quia, cum levis metus sit in potestate contrahentis matrimonium, ideòq; facile illum depellere possit, si non depellat, satis liberè & perfectè ac sine coactione consentit. Et certum est in foro externo non admitti allegationem metus levis vel reverentialis tantum, cum meritò præsumatur talis metus non abstulisse libertatem.

IV. Contra tamen, etiam metum reverentialem in foro conscientie irritari matrimonium (atque adeo etiam Professionem religiosam, cum

matrimonium carnale & spirituale æquiparentur (docent sanè graves DD. Navar. l. 1. *Confl.* 9. & 10. & *Manual.* c. 21. n. 15. Rodriquez *tomo 2. summa. c. 8. conclus. 7. alii.* & probabilem censent Lessius, Layman, Tanner. Barbosa, apud Gobat. *cit. num.* 249. eò quod etiam talis metus, præsertim à viro gravi incussus tollat perfectam libertatem, qualem in matrimonio (sicut & in Professione) omnes requirunt. Et omnino vera est hæc sententia per accidens, quando scilicet cum imperio Patris, Tutoris, Prælati &c. conjunctæ sunt minæ, quas ille executurus putetur, lævitia, mala tractatio, aut quando timetur gravis & diuturna indignatio patris aut alterius personæ, à qua multum dependet fortuna filiæ: & generatim, quando cumque præter metum reverentiæ timetur aliquod aliud grave malum vel incommodum, & quia reverentia plerumq; aliquod tale malum timetur, ideoque sæpe potest in praxi locum habere dicta sententia.

§. II.

Injustus incussus.

18 **U**T metus etiam gravis dirimat matrimonium requiritur, ut sit *injustus seu injustè incussus*, scilicet à tali, qui habet nullam potestatem incutiendi eum juxta *cit. c. consultation. Et cum locum de Sponsal.*

Secus est, si metus justè incuteretur v. g. à judice præcipiente stupratori virginis ut eam ducat sub gravi poena excommunicationis, capitis, &c. *c. ex litteris 2. de Sponsal.*: aut etiam ab homine

mine privato v.g. parente virginis minitante stupratori accusationem, & poenas debitas pro delicto procuraturum viâ justitiæ nisi eam ducat: matrimonium eo metu tanquam justè incusso extortum erit validum, juxta communem DD. cum Sanchez lib. 4. disp. 8. Conninck. disp. 28. dub. 1. Layman. cit. alii passim, & optimè Dicastil. his disp. 6. dub. 5. rectè hinc inferens, valere matrimonium primò: quando tibi justè damnato capitis, &c. dicitur: aut morere, aut contrahe cum filia carnificis. Secundò: quando tibi in carcere in causa sanguinis detento dicit custos: dimittam te, si duxeris meam filiam. Tertiò quando medicus tibi desperato dicit: aut duc meam filiam, aut non medebor tibi. Quartò, simile est, si puellæ in aquis periclitanti & tuam opem imploranti neges succurrere, nisi tibi nubat, idemque in similibus: quia in his & similibus nullus metus injustè incutitur, sed ad summum negatur aliquid, alioquin ex charitate debitum. Contrà verò certè invalidum esset matrimonium, si Judex vel parentes minentur tibi poenam vel accusationem alterius antecedentis criminis, v. g. furti, adulterii, homicidii &c. nisi talem ducas; metus enim erit injustè incussus, etsi enim illi habeant jus te sic accusandi vel puniendi, non tamen habent jus, te sic cogendi ad matrimonium. Communis apud citatos, etsi aliqui nō improbabiler oppositum teneant. Certissimè autem invalidum erit matrimonium, si parentes stupratori filiæ verbera vel mortem

minentur propria autoritate inferendam, nisi quam primum in matrimonium consentiat; nisi forte eo metu posito postea liberè consentiat.

§. III.

Ad extorquendum ipsum Matrimonium.

19 **T**Andem, ut metus irriter matrimonium, requiritur, ut sit per se directè incussus ad extorquendum ipsum matrimonii consensum, ut hactenus semper supposuimus. Secus esset, si metus esset vel ab intrinseco, ut si quis in periculo mortis vellet ducere suam concubinam, aut damnatus ad mortem spontè offerat ducere filiam judicis vel carnificis, &c. ad conciliandum ejus animum vel in sui liberationem: vel ab extrinseco quidem incussus: at non ad matrimonium, sed ad alium finem, ut si quis injustè incarceratus, aut quamvis aliam vim vel injuriam passus, aut in stupro deprehensus à patre virginis, permittente jure civili, occidendus, spontè eligat matrimonium tanquam medium ad sui liberationem, &c. valida erunt matrimonia; quia ille metus etsi injustè incussus non est per se causa matrimonii sed merè per accidens & occasio tantum, quatenus occasione talis metus ad se liberandum ipsemet tale remedium eligit, quod jura ipsa haud adimere debuerunt, ut omnes observant.

20 At quid si omnibus diligenter consideratis, dubium sit, utrum metus injustè incussus ad extorquendum matrimonium gravis censendus sit nec ne: adeoque an matrimonium irritum sit, an verè

verò validum, quid præsumendum? Acriter disputant DD. Censeo cum Layman cit. *num. 4.* præsumendum pro valore matrimonii, quamvis enim magnoperè curandum sit, ut matrimonium in perpetua conjunctione consistens libera voluntate contrahatur, & ideo sponsalia, si quocunque etiam leviori metu injustè incusso celebrata sint, facile dissolvi possunt ut *sect. sequent.* videbimus, postquam tamen matrimonium semel contractum est potius ut validum, quàm ut invalidum judicandum est; cùm matrimonii causa sit favorabilis, idque partim propter reverentiam Sacramenti, partim quia reipublicæ & prolis interest, ut matrimonium non solvatur, nisi infirmitas vel nullitas appareat. Accedit, quòd postquam contractus celebratus est, præsumptio stet pro ejus valore, nisi contrarium ostendatur, ut rectè probat Sanchez *lib. 7. disp. 37. num. 14.* Et hæcenus quoad valorem matrimonii meticulosi, ad cujus nullitatem omnium consensu perinde est sive metus injustus incutiat ab ipso altero contrahente, ut si stricto ense mortem minoris puellæ, nisi statim tibi nubat, sive à quocunque alio v. g. contrahentis patre, domino, judice, &c. prout in hæcenus dictis advertere debuisti. Jam quoad licitum difficiliùs videndum.

§. IV.

Qualiter peccent ex metu contrahentes matrimonium?

Illum, qui alteri talem metum injustum incutit

B §

tit

tit ad extorquendum matrimonii consensum, peccare mortaliter contra iustitiam, ladendo scilicet alterius libertatem in re gravissima, nimis clarum est. Insuper etiam ex tali metu iniuste incusso contrahentem matrimonium peccare graviter videtur sequi ex communi sententia, nempe: omnem scienter contrahentem cum impedimento dirimente peccare mortaliter sacrilegio, annullando Sacramentum, de quo *cap. sequent.* cum de peccatis conjugum. At in proposito specialiter mitiores sententias secutus breviter sic resolves.

21. I. Si ex tale metu contrahens verbotenus solum fingat se consentire re ipsa non consentiens, peccat solo veniali mendacii peccato, non sacrilegio quasi annullans Sacramentum; quia nihil ponit, cui ex institutione Christi annexa sit ratio Sacramenti, sicut ponit & sacrilegè peccat, qui sine intentione fictè baptizaret infantem, ut consideranti patet. Verum adverte, tunc matrimonium esse irritum ipso iure naturæ, non propriè ratione metus, sed ratione fictionis, seu omnimodi defectu consensus in matrimonio autem ex metu contracto verè ad est aliquis consensus & vera voluntas accipiendi alterum in maritum dicitur tamen non adesse, quia adest consensus solum imperfectus, & involuntarius secundum quid cum admixtione dissensus ac involuntarii; vult enim contrahere metu compellente at omnino nolle, si aliter metum & malum formidatum evadere posset.

II. Si ex metu contrahens solum consentit in²² matrimonium ipsum sine animo consummandi, aut exercendi actus carnales, probabilissimè ne venialiter quidem peccat, saltem posito, quod metus solo jure Ecclesiastico dirimat matrimonium. Ita cum aliis Sanchez *l. 4. disp. 16.* Perez *disp. 22. secl. 5.* eosque secutus Gobat *num. 246.* Ratio est; quia ex una parte præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto rigore; & quod in favorem metum passi institutum est, non debet cedere in ejus gravamen: Ex altera autem parte talis non irritat Sacramentum; quia adhuc non facit id, cui ex Christi institutione annexa est ratio Sacramenti; hæc enim ratio Sacramenti competit solum contractui legitimo & valido, qualis ex Decreto Ecclesiæ non est contractus ex metu. Jam vides, aliud esse de Sacerdote certè mortaliter & sacrilege peccante, si ob metum mortis v. g. conférat absolutionem scienter homini indispósito; talis enim verè profert verba propria formæ Sacramentalis à Christo institutæ super indebitam materiam. At, nonne consentiens in matrimonium dat alteri potestatem sui corporis? sed per matrimonium invalidum non potest dari potestas corporis; hoc enim esset consentire in copulam fornicariam: ergo peccat mortaliter. R. Distinguendo: dat potestatem licitè, sed non validè; quia alter nequit ob nullitatem matrimonii hac potestate uti, eo modo, quo viator latroni fortè mortem minitanti dat pecuniã licitè, sed non validè; quia defectu juris non potest eam latro retinere.

23 III. Qui ex metu gravi init matrimonium, sciens tale matrimonium esse nullum cum intentione illud consummandi seu exercendi actus permisos veris conjugibus, peccat mortaliter. Expresse *Inquisitioni. 44. de Sentent. Excomm.* Ratio nimis clara est; quia habet intentionem exercendi actus fornicarios, cum durante illo metu non possit consistere verum matrimonium, sed maneant merè soluti, quare potius debet mori, quam præstare talem consensum. Quid ergo aget talis puella v.g. tali metu coacta ad nubendum à patre, iudice, &c. *xy.* Vel consentiat spontè, ita ut metus non sit amplius proxima causa, sed tantum occasio consensûs: vel consentiat in matrimonium, non verò in copulam, juxta dicta *num. 11.* vel tandem potius subeat mortem, quam præstet talem consensum, quippe fornicarium & intrinsecè malum.

24 IV. A fortiori ergo qui vel quæ ex tali metu contraxit matrimonium, sciens esse invalidum, peccat mortaliter consummando vel exercendo actus carnales, cum sint veri actus fornicarii, nisi, posito metu, matrimonium ratificet novo consensu vel expresse vel tacito, scilicet affectu maritali admittendo copulam seu commercium carnale. *Omnes.* Et licet conjux talis habeat commercium tale carnale cum putativo marito, non tamen hinc mox sequitur, matrimonium ratificari & validari per tale commercium ut omnes observant. Ratio est: quia inprimis fieri potest, ut etiam ex solo metu pareat petenti tale

com-

commercium: aut pareat ex errore, quod putet valere matrimonium: aut denique consentiat in copulam ex mera libidine cogitans expresse non manere in tali conjugio, quibus casibus sanè copula non ratificat seu efficit matrimonium ex irrito ratum; neque enim potest ex irrito ratum fieri, nisi per consensum liberum. Quòd si verò copula habeatur ex sincero affectu maritali, tunc hoc ipso consentitur, vel consensum fuit in id conjugium; nec enim potest adesse affectus verè conjugalis sine tali consensu, qui scilicet tunc primum eliciatur vel elicitus sit antea, saltem in ipsamet præparatione ad copulam carnalem, ut bene explicat Dicastil. *disp. 2. dub. 14.* Denique expresse decisum est *c. Ad id quod. 21. De Sponsal. & Matrimon.* Si aliqua puella annum unum cum dimidio vixit in tali coacto conjugio cohabitans quietè marito, est tam firma præsumptio, quod affectu maritali cohabitaverit, ut etiam si possit clarè probare, se ex metu contraxisse, non tamen admittantur ejus probationes; quia scilicet, si non placuisset illud matrimonium, aufugisset intra tantum temporis puella nondum trecennis. De hoc satis.

Sed jam restat difficilior quæstio omninò practica: Quid si quis vel quæ ex tali metu injustè incusso, eoque ipso jam nulliter, contrahat matrimonium, insuper irretitus alio impedimento dirimente eoque aut juris Ecclesiastici v. g. affinitate occulta: aut juris Divini v. g. ligamine alterius matrimonii occulti? Matrimonium si
con-

contractum foret dupliciter nullum, tunc vides. Quoad peccatum, dictis conformiter sic resolves. 1. Si fide absque ullo interno consensu contraxit, peccavit solo veniali mendacii peccato. 2. Si sic contraxit animo utendi conjugio, peccavit mortaliter. 3. Si absque tali animo contraxit consentiens solum inefficaciter in ipsum matrimonium siquidem impedimentum aliud sit juris Ecclesiastici, ut dicta affinitas, ne venialiter quidem peccavit ob eandem semper rationem, quæ supra data est; nam duo impedimenta non operantur plus, quam unum in ordine ad peccatum: etsi difficiliorem reddant dispensationem. 4. At verò, si aliud impedimentum præter metum dirimens esset juris Divini seu naturalis: ut dictum ligamen alterius matrimonii, tunc te peccare mortaliter cum pluribus docent Perez *disp. 22. Sect. 5.* Casp. Hurtado *disp. 12. diff. cult. 4.* quia, ajunt, tunc contrahere est intrinsecè malum, quippè contra jus naturæ prohibent tale matrimonium. Contra tamen etiam tunc ne venialiter quidem peccare cum aliis docent Sanchez *l. 7. disp. 5.* Coninck *disp. 30. num. 19.* Castro Palao *disp. 2. de Sponsal. dub. 11.* & probabiliorē indicat Tambur. hic *tract. 1. c. 17. §. 2. num. 5.* Ratio est; quia ex una parte etiam hic matrimonium non fit, neque ponitur id, cui annexa est ratio Sacramenti, adòeque abest Sacrilgium; Ex altera autem parte consensus ille inefficax in matrimonium ex ipso illo gravi metu sufficienter liberatur à peccato.

Urgebis cum Hurtado: attentare id facere, quod jure naturæ prohibitum est (v. g. homicidium innocentis) est intrinsecè malum; sed matrimonium tale est jure naturæ prohibitum, ut supponimus; ergò illud attentare est intrinsecè malum: ergò excusari nunquam potest, ne ex gravissimo quidem mortis metu. R. Distinguendo majorem attentare id facere, quod jure naturæ prohibitum est, efficaciter cum animo volendo illud facere verè, est intrinsecè malum, concedo majorem: attentare illud solum inefficaciter & cum animo illud nolendi facere, imò cum certitudine, quod non faciet est intrinsecè malum semper, nego majorem; neque enim condemnabis eum peccati, qui metu mortis suæ adactus sic inefficaciter attentare vel potius fingeret occidere innocentem v. g. jaciendo contra illum sagittam, sciens certo, nullum illi se damnum illaturum; quia ergò meticolosè contrahens cum tali impedimento scit pro certo, se nullum celebraturum matrimonium, illa non erit vera attentatio matrimonii, adeòq; erit actio digna, quæ à metu gravi excusari possit, à peccato. Cæterùm si sciens te nullum posse contrahere matrimonium, adhuc velles contra jus verè & efficaciter contrahere, tunc non est mirum si pecces mortaliter, cujuscunque juris si impedimentum Divini vel Ecclesiastici: hoc enim esset, nolle obedire Ecclesiæ, animum fornicandi habere. Tandem, quid si prædictus impeditus jure naturæ putaret se verè contrahere posse, &

pro:

propterea metu coactus contrahere? R. Hunc multò minùs peccaturum; quia bona fides, cum inculpabilis sit eum inculpabiliter ignorantem exculat, quamdiu durat, etiamsi contraheret animo consummandi, & reverà consummet; et tamen bona fide ablata, ipsum se gerere non posse ut conjugem, nimis clarum est. Sed de hoc plura c. 2. de peccatis conjugum.

§. IV.

R A P T U S.

26 **R**aptus generatim, ut peccatum speciale luxuriae contra sextum Præceptum definitur *adductio violenta foemina cujusdã de loco ad locum causã libidinis exercendae, vel etiam matrimonii contrahendi.* Hoc crimen jure civili morte punitur, si rapta foemina honesta fuerit. Concil. autem Trident. Sess. 24. c. 6. De Reformatione Matrimon. sic habet: *Decernit Sacra Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat. Et nihilominus raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium aut favorem prabentes sint ipso jure excommunicati ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces: Et, si Clerici fuerint, de proprio gradu decendant. Teneatur præter ea raptor mulierem raptam, siue eam uxorem duxerit, siue non duxerit, decenter arbitrio judicis dotari.*

Hæc

Hæc Concil. Trident. Nota obiter: præter impedimentum dirimens & excommunicationem latæ sententiæ, reliquas pœnas non incurri, nisi post sententiam judicis, ut ultimis verbis etiam Concilium innuit. Videndum nunc, qualis raptus inducat hoc impedimentum dirimens, de quo solo nobis sermo.

Regula: Raptus propriè dictus & impedi-²⁷ mentum jure novo dirimens matrimonium, est *violenta abductio puella ex potestate parentum, vel quasi parentum* (tutoris, curatoris, mariti, fratris, &c.) *ad alium locum matrimonii contrahendi causâ.* adeoque tres requirit condiciones: quarum una deficiente, non erit impedimentum dirimens.

I. Requiritur *violentia* aliqua adhibita; quòd si enim infcîs parentibus vel tutoribus puella volens vel consentiens abducatur, ita ut neque puellæ ipsi, neque parentibus vis inferatur, licet his adhuc injuria fiat, non erat raptus; quia raptus, sicut & rapina, violentiam continet, ut ex communi notat Navar. l. 5. *Consil. 3. num. 1. De raptor.* Sanchez l. 7. *disp. 12. num. 36.* Layman *part. 3. c. 13. num. 2.* Quin si post tractatum de matrimonio legitimè contrahendo, vel sponsalia jam contracta sponsa jam consentiens, de domo patris vel tutoris, et si inviti & reclamantis, abducatur, non esse raptum, nec matrimonium impedire, respondit *Lucius 3. c. Cum causam de raptor.*

At, quid si sponsa pœnitens tunc invita per

violentiam abducatur? Adhuc esse raptum matrimonium dirimentem affirmat Sanchez *disp. 13. num. 15.* alii complures. Consensio cum Gobat *Cas. 19. num. 554.* Si sponsa habeat justam causam resiliendi. Negant verò Henriquez, Rodriq. Lessius. Barbosa. alii cum Tambur. *l. 7. in Decalog. c. 6. §. 2. num. 15.* eò, quòd non sit abductio strictè injuriosa, eam sibi accipere, quæ sibi legitimè promissa est. E iam consensio, si sponsa non habet justam causam resiliendi.

28 II. Requiritur violenta abductio per violentiam illatā ipsi puellæ, quòd si enim puellā spontè & liberè consentiat ad abeundum & nubendum, & violentia solum inferatur ipsi parenti vel tutori, &c. etsi adhuc dicatur raptus in jure *c. de Raptor. 38. q. 1.* & esse adhuc impedimentum affirmant communius *D'D. Navar. Henriquez. Rodriq. Sa,* alii cum Layman *cit. num. 1.* Probabilius tamen negant Sanchez *cit. num. 1.* *Coninck. disp. 41. num. 48.* *Perez disp. 38. Sect. 4. Escob.* alii cum Gobat *num. 546.* nec improbat Layman. Ratio optima est; quia præterquam, quòd odiosa restringenda sint, Decretum Tridentini non attendit, nisi libertatem matrimonii: at hæc nullo modo læditur, quando puella liberrimè consentit, esto declament parenti etiam violentiam passi; neque enim libertas matrimonii in filia, quam Concilium urget, ullomodo dependet à voluntate parentum.

29 III. Requiritur violenta abductio puellæ

contrahendum matrimonium; nam si violenter abducatur solum ad libidinem exercendam sine ordine ad matrimonium, etsi adhuc raptus sit quoad culpam, non tamen esse raptum propriè dictum, & impedimentum matrimonii, contra Bonacin. & plures alios, rectius docent Sanchez *cit. disp. 13.* aliique permulti cum Tambur. *cit. num. 11.* & Gobat *supra*. Ratio est; quia Concilium eo Decreto nihil intendit nisi libertati matrimonii providere; ergò agit de solo raptu & violenta abductione puellæ ad contrahendum matrimonium.

De puellæ vel fœminæ violento rapto semper sermo est. Quid si ergò fœmina virum rapiat matrimonii causâ? habebitne locum Decretum Concil. Trident. & matrimonium dirimet? Affirmant quidem nonnulli: rectè autem negant Dicast. & Escob. apud Gobat *num. 543.* & noster Herincx. Ratio est; quia Concilium loquitur expressè de solis raptoribus, nihil de raptricibus, nec solent leges statui de casibus rarissimis; est autem rarissimum, quòd mulier per se aut per alios rapiat virum per vim ad matrimonium contrahendum, etsi sæpè rapiant ad libidinem. Vide Diana *part. 10. tract. 16. Resol. 84.* pro utraque parte referentem.

IV. Quoad impedimentum hoc incurrendum, vel in quas pœnas raptoris, perinde est, si quis per se ipsum sive per alium de suo jussu vel consensu rapiat fœminam matrimonii causâ; quin alter executor excommunicationem aliasque pœnas

pœnas & ipse incurreret tanquam auxiliator & fautor sceleris; non item contrahet impedimentum dirimens respectu illius fœminæ, sed validè poterit inire matrimonium cum eadem? quia nullitas matrimonii solum infertur contra rapientem pro se, non contra rapientem pro alio. Quare si quis, te omninò ignorante vel nullò modo consentiente, pro te rapiat fœminam, neque tu, neque ille alter impedimentum, aliàs pœnas incurreret: non tu; quia non es raptor; non alter; quia non rapuit pro suo matrimonio de quo casu solo loquitur Concilium Tridentinum, hujusque Decretum, quod cum sit odiosum & pœnale, non est extendendum ultrà verba; unde tam tu, quàm alter, qui rapuit, poterit validè contrahere matrimonium cum eadem muliere rapta, etsi non separatâ. Ita cum aliis Sanchez *disp. 13. num. 2.* Tambur. *l. 7. Decalog. cap. 6. §. 2. num. 16.*

§. V.

CLANDESTINITAS.

32 **M**atrimonium clandestinum, id est, in solum & solam mutuo consensu de presenti contractum sine Parocho & testibus, olim jure antiquo quidem validum erat, sed illicitum & severissimè prohibitum multis sacris Canonibus relatis apud Sanchez, Layman, & alios. Modò verò novo jure Concilii Tridentini omninò annullatum est, & clandestinus ejusmodi consensus pro impedimento dirimente declaratus; sic enim habet Concilium *Sess. 24. c. 1. de Reformatione*

Reformat. Matrim. Qui aliter, quam præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsis Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentarunt, eos S. Synodus ad sua contrahendum omnino inhabiles reddit & hujusmodi contractus omnino irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit, annullat. Ratio est; quia licet spectato jure naturali & divino per se nec invalidum, nec illicitum sit matrimonium clandestinum, tamen per accidens propter innumera incommoda, plurima scandala & occasiones peccandi, Ecclesia, cujus juri matrimonia ratione Sacramenti annexi subdita sunt, ad publicam utilitatem animarum potuit ejusmodi clandestina matrimonia infirmare, & fideles inhabiles reddere, qui sic clam contrahere attentant; quemadmodum & respublica civilis contractus quosdam vel simpliciter, ut pupillorum, vel certa solemnitate destitutos ob justam & publicam causam irritos reddit & annullat, etiamsi alias jure naturali per se spectato irriti & illiciti non essent, ut patuit alibi De Contract. & Ultima Voluntate *Tr. 6. Decal. c. 2. & 3.*

Decretum hoc Trident. clandestinas nuptias; annullans, & Parochi, testiumque præsentiam requirens, solum obligat in locis Catholicorum, ubi illud Concilium promulgatum & receptum est, & non se extendit ad ea loca Catholicorum & Hæreticorum, in quibus nunquam promulgatum & receptum est, ut insinuat ipsum Concilium

lium eodem c. I. decernens, ut Decretum in unaquaque Parochia robur habere incipiat post triginta dies à die prima publicationis.

34 Quare Catholici valide matrimonia contrahunt in terris hæreticorum coram Prædicante ubi illud Concilium nunquam promulgatum fuit: imò etiam si in talibus locis illud Decretum promulgatum fuisset, modò tamen, expulsis Catholicis, non adsunt proprii Pastores; cum enim in iis locis Decretum servari non possit, non est examinandum, libertatem validè contrahendi ibi si delibis ablatam esse, ut sæpiùs jam respondit Congregatio Cardinalium Officii, apud R. Tambur. Gobat Herincx. & alios.

35 Insuper licet in civitatibus Germaniæ civi Catholici permixti cum hæreticis reverà Episcopo subditi sint, ut Augustæ, Ratisbonæ, &c. tamen putandum non est, Decretum se ad matrimonia facta ibi sine Parocho extendere, adeoque matrimonia hæreticorum ibi sine Parocho Catholico, sive coram ministro hæretico celebrata esse valida, quippè sciente, nonque contra dicente, eoque ipso tacitè consentiente Summo Pontifice, ne multa ibi incommoda oriantur, quòd filii eorum legitimè nati non essent, ideoque non capaces officiorum vel sacrorum Ordinum, ut rectè docent DD. gravissimi Germani Tanner. *tomo 4. disp. 8. quest. 3. dub. 6.* Layman *tract. 10. part. 2. c. 4. n. 7.* Dicastil. *disp. 13. de Matrimonio dub. 10. num. 84.* Boni gratia Habsensis apud Gobat *cas. 18. num. 460.*

acrit

acriter quidem repugnantem, tandem tamen pro praxi consentientem. Hæc quoad necessitatem, jam quoad qualitates & requisita ejusmodi Parochi & testium necessario pluribus agendum *Secl. 3.* cum de sacramenti matrimonii solemnitate.

Cæterum quoad Sponsalia Concilium ni-
hil innovavit, adeoque etiam clandestina inter
solum & solam facta valida manent, quamvis in
foro externo ad fidem adhibendam testes adhi-
bere consultum sit, & valde laudabiliter in ple-
risque Germaniæ locis præter utriusque sponsi
parentes & amicos adhibetur etiam Parochus
ad majorem solemnitatem & fidem. At, quid si
sponsi in tali sponsalium contractu præsentem Pa-
rocho & testibus utantur verbis de præsentem (pro-
ut revera sæpe utuntur, & ipse semel præsens
attonitus audivi) *accipio te in meam*; eritne jam
matrimonium ratum, ut consummari liceat,
cum nihil desit requisitum ad matrimonium e-
tiam novo jure Trident. ? & negativè Navar.
cap. 12. num. 79. & Layman cit. c. 4. num. 15.
quia præsumi non debet, sponso voluisse ma-
trimonium contrahere cum peccato, nondum
præmissis denuntiationibus sub gravi obligatio-
ne requisitis, adeoque licet utantur verbis de
præsentem (quod tamen cavere præmonendi sunt
à Parocho vel peritis) præsumuntur tamen vel-
le sponsalia contrahere more debito & commu-
ni aliorum: licet, ponamus, sponso-
rum expressam intentionem fuisse, matrimonium i-
psum

psum contrahendi, contrahere tamen non potuerunt jure novo, si hanc voluntatem & intentionem Parocho & testibus praesentibus non significarunt, quippe qui non matrimonii, sed solum sponsaliorum causam intersunt; quod tandem & ipsis ea sponzorum intentio constituerit, dubium non est, matrimonium fore validum, cum nihil ad valorem desit, certe tamen mortaliter illicitum, ideoque specialibus poenis subiectum; nam si alias, servatis servandis, cum impedimento occulto dirimente contraxissent bona fide, & ipsi facile obtinent dispensationem à Papa, & in certo casu ab Episcopo, & filii tali matrimonio occultè invalido suscepti legitime censentur; at verò, si trinæ denuntiationes praeviae, aliaque solemnitates omissae sunt, & ipsi postea spe dispensationis privantur, & filii privilegio legitimationis carere debent. *c. cum inter. &c. Et tenore. Qui filii sint legitimi.*

CLASSIS II.

Impedimentum.

LIBERTAS OBLIGATA AL

teri, Continet quatuor impedimenta:

Votum, Ordo, Ligamen, Honestas.

SUMMARIA.

29. *Votum solemne castitatis*
40. *Dirimit matrimonium contrahendum.*
41. *Jure Ecclesiastico tantum.*
42. *Ac eodem jure dissolvit matrimonium ratum tantum.*
43. *Votum simplex castitatis non dirimit.*

44. *Ordo*